QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-primâ Junii, 1703.

M. PETRO POURRET unici Regis fratris Medico ordinario, Doctore Medico Præside.

An in raro corporis habitu vita fœlicior?

I.

SANITAS, optimum vitæ suavioris, & fœlicioris condimentum, functionum animi & corporis integritas; non solùm sita videtur in laudabili partium similarium temperie, legitimâ organicarum structurâ, ambarumque unione, sed & in convenienti machinæ vascularis, sanguinisque motu circulari, quo cessante, præpedito, aut quâvis ratione pertubato pervertitur illa. ab hâc consensus unus, confluxus unus, conspiratio una in singulis corporis partibus advertitur. Insigniores tubuli, arteriæ è corde contracto sanguineum laticem vehunt ad omnes partes, venæ arteriæ nempè reflexæ, superstitem revehunt ad cordis scaturginem, qui ab eodem dilatato excipitur, iterùm incudi redditurus, itu, & reditu frequentissimo perficiendus. à curvavaturis arteriarum prodeunt nervi spiritûs animalis delatores, vasa lymphatica, biliaria, renalia, pancreatica, quæ glandularum, ex arteriarum divaricatione, intertextu, & plexu prodeuntium ope lympham, bilem, serum, & liquorem pancreaticum in proprias sedes devehunt. Hujus machinæ motûs perennitate stat vita, egregium sanè munus! fœlixque corporis valetudo, quo nihil optatius! jugis auxilio circulationis, trituræ, & secretionis assiduæ, sicut & aëris salutaris commercii, ejusdemque elateris, respirationis, & transpirationis authoris. Vita permannsio est caloris in humido, cujus perennitas, nullâ reparabilis arte ab ejus pendet constantiâ, & salubritate, quam in raro corporis habitu fœliciorem reddit aëris ubertas, & liberior fuliginum exitus. Tribus vita sustinetur cibo, potu, & spiritu: citò tamen pede labitur ætas, nec bona tam sequitur quam bona prima fuit; assiduam enim Sanguinis & Spirituum jacturam omni ex parte alimenta reparare non possunt. Vita ilicis, quercûs, & quarumdam aliarum plantarum longævior perhibetur, brutorum brevior. longioris inter hæc vitæ creduntur cervi, corvi, & alia quædam. Inter homines priorum mortalium ætas longa, nostra brevior. Qui rarum corporis habitum naturâ sortiuntur perfectiores edunt actiones, causisque morbificis firmiùs obsistunt, salubriorem ideò, diuturniorem & fœliciorem vitam ducunt.

II.

CUM excrementorum proventus vitæ muniis & fœlicitati plurimùm obſit, quò puriora ſunt, & à ſupervacaneis ſuccis liberiora corpora, eò minus ægrotant, ſalubriuſque degunt: quæ verò multis ſcatent excrementis deteriori fruuntur valetudine, ut pigri, ſomnolenti, gulæ & vino dediti, litterarum cupidi, helluones librorum. Cum verò minor adeſt excrementorum cumulus, eò firmſor, beatiorque valetudo. Sic ruſtici urbanis, montani vallium incolis, maritimi mediterraneis, calidarum regionum incolæ iis qui frigidas habitant, non cauſariam, ſed firmiorem vitam ducunt. Ita ſobrii, qui cænâ brevi utuntur, uno verbo qui medicè vivunt, leviores ſalubrioreſque redduntur; quemadmodum qui raro corporis habitu à naturâ donantur; quandoquidem multiplicem proluviem excrementitiam per patentes muſculoſi habitûs, & cutis poros expellunt ſenſibiliter per ſudores, & fuligines, & inſenſibiliter per halitum inſenſilem, hinc nativus calor ventilatur & fovetur, quod maximum roboris & ſanitaris ſubſidium eſt. Undè nam verò ſuppetat tanta illuviei Sarcina. Accuſanda videtur laboris nativi imbecillitas quæ languet à nimio otio, vitâ deſide, à nimio quoque motu exolvente, ſæpè ex incautâ vivendi lege! an Hipp. l. de principiis. per plures dies ſine cibo & potu vivere poteſt homo ὁ αἰὼν ἑπταίμερος τῦ ἀνθρώπυ hominis vita ſeptem dierum numero circumſcribitur: aëre vix momento carere poſſe certum eſt: viventem enim reſpirare tam neceſſe, quam reſpirantem vivere. Quare animantium corpora undique circumfuſa ſunt ſpirabili aëris naturâ tantoperè veriegatâ; extenuatus quippe in ſublime fertur, concretus in nubes cogitur, humoremque colligens, terram irrigat imbribus, tum effluens huc & illuc ventos efficit, annuas frigorum & calorum facit varietates, ſpirituque ductus ſuſtentat homines, eiſque vitalem præbet ſpiritum, fumoſaque ſpiritus & caloris nativi ſupervacanea decerpit, ſuâque ſubſtantiâ & dotibus ſpiritus, humores, partiumque ſubſtantiam afficit, Serenus, tenuis, temperatus omnibus conducit. Temperie cæli corpuſque animuſque juvatur, ſpiritus ſiquidem noſtros recreat, ſanguinem attenuat, corpus omne pervadens raritate diffundit, ſuſcitatoque calore appetentiam, concoctionem, ſupervacuorum diſſolutionem, expurgationemque promovet; ut craſſus, denſus, caliginoſus, & alienâ permixtione inquinatus ſpiritus obſcurat, ſanguinem & humores denſat, corpus aggravat & calorem opprimit.

III.

RARUS corporis habitus à calidâ & humidâ, aëreâ & ſpumoſâ ſeminis, viſcerum & molis ſanguineæ temperie oriundâ, affectio dicitur corporis in quâ rarefactæ muſculorum carnes, & cutis ipſa (tactus univerſi corporis organum, tegumentum, atque emunctorium) nequaquam ſolida, ac denſa, ſed crebris apertiſque foraminulis inſtar cribri pervia exiſtit. Hæc rarior denſiori præferenda vitæ compendio utpotè morborum feraci. Quarè ubi ſanguis peccat copiâ gemitque natura ſub pondere, ſi diffletur, vix nociturus erit. Cutis rara tactu ſubtilior non ſolùm, ſed firmiorem conſtitutionem, cujus eſt indicium ab omnibus præſtat injuriis ſecuriorem: hæc temperata mediam inter carnem & nervum naturam adepta Per illius inſenſiles poros fit ea, quæ ſola pluribus ſufficit ad vitam animalibus, ut inſectis, & vermibus, aliiſque perſpiratio, quam non parùm juvat perennis Vaſorum motus. Per hos cutis meatus nemo non videt euntes fuligines ut vaporem fumoſum; facilis quippè egreſſus fuliginibus & aëri aditus, qui calorem nativum jam repurgatum fovet & alit,

laticemque ſanguineum mirabili elatere excitat & impellit cum totâ machinâ. deprehenditur rarus habitus ex latis venis, magno pulſu, planis & craſſioribus pilis, ingenii perſpicaciâ, ſenſuum vigore, hilaritate animi, facili ab externis injuriis læſione ab internis difficili, propenſione in ſudorem, ſanitatis firmioris diuturnitate, citâ & brevi à morbis convaleſcentiâ, alvi & urinarum parciori evacuatione. Cum verò à naturâ inſtituatur perſpiratio ad flabellationem aëris & recrementorum expurgationem; reſpirationi (ad mixtas actiones pertinenti) analoga cenſetur cujus utcunque vices gerit in fœtu, ubi vaſa umbilicalia pulmonis feriantis vicem gerunt, in adultis verò unà cum reſpiratione ad corporis ventilationem. & ſanguinis impulſionem non mediocriter inſervit. Reſpiratio motus eſt diaphragmatis, muſculorum intercoſtalium & fibrarum quibus contexuntur pulmonum veſiculæ inſpiratione, & expiratione conſtans ut aëri pateat aditus pulmonibus ſanguinem repurgaturo ejuſdemque motum promoturo. ad primi mobilis cæli archetypi imitationem quod circulariter movetur.

IV.

NON ſolùm prudenti Medico attendenda adjectio & detractio ſub ſenſum cadens ſudoris, urinarum, dejectionum, & ſputorum, ſed & inſenſilis tranſpirationis evacuatio, quæ ſola abundantior eſt reliquis ſenſibilibus ſimul junctis: ita ut ſi quis ſumat cibum & potum ponderis octo librarum unicâ die tranſpiratio inſenſilis aſcendere ſolet ut plurimùm ad quinque libras circiter pro ratione naturæ, temperiei, habitûs, exercitii &c. reſpiratio verò ad ſelibram ut obſervatum fuit ex guttis in ſpeculo ori appoſito ab exacto computatore Patavino affirmante plura unicâ die excrementa per inſenſilem halitum, & cutis poros evacuari, quàm per reliquas ſenſibiles evacuationes quindecim dierum ſpatio; idque probatur facilè ex ponderatione corporum & excrementorum. Inſenſilis & oculis penè imperceptibilis videtur perſpiratio; facilis tamen cognitu Medico, qui, quantum halitûs & fumi in die exhalet & diffletur, ſecuro artificio librare novit & ponderare; ità ut qui ſolitò graviorem ſe ſentit, huic ſuppreſſa ſuſpicanda perſpiratio, qui ſe leviorem liberalior illi ſucceſſit: quò ſubtilior illa, eò ſalubrior; eò pejor quò parcior. Qui cibis multum nutrientibus utuntur perſpirant copioſiùs, qui in aëre frigido, æſtuoſo; humido, locis à vento tutis degunt, iis parcior tranſpiratio ſicut & pinguibus quibus mens obtuſior & corporis habitus frigidior quàm gracilibus, ſenibus quàm pueris. Fœtor inguinum & pedum, & fœtida totius corporis exhalatio, calidorum & humidorum corporum crudis ſuccis refertorum argumenta ſunt, non aliter quam fœtor alarum; ubi interdum creditur valle ſub alarum trux habitare caper.

V.

IN denſiori corporis habitu languet perſpiratio ut in plæriſque mulieribus, obeſis potiſſimùm & in aſtrictæ cutis hominibus; hinc fit ut excrementa halituoſa, ſuppreſſa & cohibita plethoram, alteram morborum parentem, inferant, f liginoſa diuturniori morâ acriora reddita fermentationes febriles, multa & copioſa gravia ſymptomata cephalica, ut & caloris nativi ſuffocationem invehant. In raro è contrà corporis habitu per poros apertos, & patentes, arteriæ ad cutim deſinentes facilè & placidè halitus explodunt & fuligines (pilorum, morum, & humorum indicum materiam) ita aërem externum admittunt ſanguinem promoturum & univerſum corpus eventilaturum, quia

aër non dissimili ratione putrescit ac cætera omnia, excepto igne. Hinc quoque fit, ut qui sanguis copiâ peccat gravia non inferat detrimenta, si diffletur, & putredinis vitia perspirationis libertate irrita reddantur; caloris nativi oppressio naturæ inimica dematur, si gementem sub pondere cimbam ventilatione sufficienti levaveris. Jure igitur optimo calidi & humidi fœliciores & salubriores audiunt, non ab ingenio quo cedere possunt atrabilariis, quorum splendor siccus animam illuminat: Sed firmiori totius corporis valetudine vitæque diuturnitate atque fœlicitate quam debent potissimum transpirationi. Frigidâ & siccâ è contra temperiè donati senectutem non attingunt, vixque adolescunt, cùm exiguus eorum spiritus sufficienter non perspiret. Cavendum quoque ne præpostera vivendi ratio naturæ destruat dotes, habitumque corporis nativum immutet. Fœlicior omnino eorum conditio, qui ἀραιοσαρκίαν quam ab ortu Contraxere tuentur, cujus beneficio recreatâ expurgatâque ritè corporis circumferentiâ, reseratis & patentibus viis, restitutâ spiritibus, sanguini & reliquis succis eundi redeundique libertate, famis & sitis naturalis vicissitudo, chili in ore præparati, ventriculo, intestinis tenuibus, venis lacteis, canali thoracico, sanguinis in vasis, corde, pulmonibus, aliisque partibus itu, redituque multoties, in singulis horis, repetito perfecta Elaboratio spirituum, laticisque nervosi, in corticali cerebri, cerebellique substantiâ & reliquarum partium, ut & principum & patritiarum cerebri, cordis, pulmonis, & testium generationi dicatorum optima dispositio, sanitas firmior, diuturnior & fœlicior exurgit.

Ergo in raro corporis habitu vita fœlicior.

Domini Doctores disputaturi.

M. Petrus Marais.	*M. Joannes Baptista Dodart, Serenissimi ducis Aurelianensis primarius Medicus.*	*M. Claudius Quartier.*
M. Carolus Contugi.	*M. Philippus Douté.*	*M. Michaël de la Vigne.*
M. Franciscus Vernage, Decanus.	*M. Amandus Douté.*	*M. Petrus Perreau.*

Proponebat Parisiis PETRUS SARTON, Graciacus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.